

gulariter est prohibita ex reg. generali, ne quis in propria causa jus sibi dicat, nisi periculum sit in mora, ut quia debitor est suspectus de fuga: nam tunc arrestatio vim defensionis habet.—3.^o Violans arrestum, v. g. fugiendo, vel bona arrestata amovendo, si subditus est, remitti debet à iudice domicilii, et puniri vel muleta pecuniaria, vel duriori custodia; si verò subditus sit alteri principi, rarò fit remissio, sed attenditur, ut profugus in eadem provincia capi et puniri possit.—4.^o Relaxatur arrestatio per solutionem factam creditori, per cautionem idoneam, cessionem bonorum, vel probationem, quod non fuerit causa sufficiens arrestationis. Plura ex Civilistis.

Absolutis pertinentibus ad modum et formam ordinandi iudicii, in seqq. titulis devenitur ad terminum probatorium, et merita causæ. Et sic agitur de probationibus in genere, tum de probationibus in specie per testes, instrumenta, præsumptiones et iuramentum. His præmittitur titulus de confessis, quia confessio propria, licet strictè non sit probatio, sed probationis relevatio, tamen probationibus accensetur, et sæpe dicitur in Jure optima probatio.

TITULUS XVIII.

DE CONFESSIS.

433. *Nota I.* Quòd confessio in præsentis sit: quadam contra se pronuntiatio, seu asseveratio ejus quod adversarius intendit. Dividitur:—1.^o In *judicialem*, quæ fit in iudicio vel ore, vel facti evidentia, vel ex præsumptione, ut si reus contumaciter se absentet; et *extrajudicialem*, quæ fit extra iudicium.—2.^o In *discretam*, seu determinatam, in quo exprimitur causa obligationis, ut debeo 100 ex mutuo; et *indiscretam*, in qua genericè exprimitur obligatio sine causa specifica, ut debeo 100.—3.^o In *simplicem*, in qua nulla restrictio adjungitur, ut occidi Stichum; et *qualificatam*, in qua per appositionem qualitatis vel conditionis, restrictio additur, v. g. occidi Stichum, sed necessariæ defensionis causa. Hic tamen nota ex Bart. in *l. Aurelius ff. de liber. leg.*, non esse confessionem qualificatam, si diversum capitulum adjiciatur, v. g. *accepi 100 mutuas, sed jam solvi*: nam hoc alterum capitulum vim habet exceptionis, quam reus probare tenetur.—4.^o In *expressam*, seu veram, quæ fit verbo vel alio signo æquivalenti; et *tacitam*, seu quasi confessionem, quæ ex aliquo facto elicitur, et à jure fingitur intervenisse; ut si quis ex contumacia non respondeat, vel se absentet, vel super delicto transigat, numerando

a.—Agitur de his in Sexto *h. t.*—In Decreto *Can. non in quemque 2. q. 1. et 15. q. 3. 3. 6. 8. per tot.*—In Pandectis *lib. 42. tit. 2.*—In Codice *lib. 7. tit. 59. et tit. ff. de interrogat.*

pecuniam accusatori, ut ab accusatione desistat; talis enim habetur pro confessio (*c. fin. h. t. in 6. l. 53. §. 1. ff. de re judic.*)

Nota II. Conditiones, seu requisita validæ confessionis, præsertim judicialis, esse decem, quæ glossa his versiculis completitur:

*Major, spontè, sciens, contra se, ubi jus sit et hostis,
Certum, lisque, favor, jus, nec natura repugnet.*

Unde requiritur:—1.^o Ut fiat à majorenni; minor autem cum auctoritate curatoris confitens, si læsus est, restituitur (*l. 6. §. pen. ff. h. t.*)—2.^o Ut fiat spontè, aliàs vi et tormentis elicitæ non valet, nisi secunda aut tertia die ad bancum juris ratificetur (*l. 1. ff. de qq.*)—3.^o Ut fiat scienter, seu ab homine sanæ mentis, et furore vel calore iracundiæ, aut probabili errore non impedito (*l. quidquid calore, 48. ff. de R. J. cap. fin. hoc. tit.*)—4.^o Ut fiat contra se, cum nulli in præjudicium alterius confitenti credatur (*reg. 74. ff.*)—5.^o Ut fiat in jure, hoc est, in iudicio, iudice pro tribunali sedente; uti et coràm arbitro, cum arbitria ad formam iudiciorum redacta sint (*l. 1. ff. de recept. arbitr.*)—6.^o Ut fiat coràm hoste seu adversario, vel ejus procuratore præsentem (*l. 6. §. 8. ff. h. t.*)—7.^o Ut fiat super re certa quoad substantiam et quantitatem (*l. 6. pr. ff. h. t.*)—8.^o Ut fiat super re litigiosa (*l. 13. ff. de interrogat.*)—9.^o Ut favor confessioni non repugnet, uti favor libertatis, matrimonii; quia si probari potest contrarium, non valet confessio contra libertatem, aut valorem matrimonii (*c. 5. de eo, qui cognov.*)—10.^o Ut confessioni nec jus, nec natura repugnet. Sic rejicitur confessio Christiani confitentis, se cum judæa matrimonium contraxisse, vel occidisse Cajum, qui adhuc vivit; priori enim resistit jus Can. et posteriori natura.

434. Q. I. *An reus legitimè, et servato juris ordine, à iudice interrogatus teneatur fateri veritatem?*

Quæstio hæc locum habet in criminalibus, in quibus difficilis est plena probatio; rarò in civilibus, in quibus ad complendam probationem deferri solet iuramentum necessarium seu suppletorium. Tunc autem censetur iudex interrogare legitimè, seu ut iudex, dum contra reum adest semiplena probatio, vel diffamatio cum iudicis semiplenæ probationi æquivalentibus. Ità com. DD. ex *c. 17. 19. 21. de accus.*

R. 1.^o Reus in criminalibus, etiam majoribus, legitimè à iudice interrogatus, tenetur in conscientia fateri veritatem. Ità Covar. Navar. Sanch. et communis sententia cum S. D. 2. 2. q. 69. ar. 1, contra Lessium, de Lugo, Reiff, et quosdam recen. docentes, reum posse amphibologia uti in causis gravissimis, in quibus timetur sententia mortis, perpetui carceris, confiscationis omnium bonorum; licet Lugo dicat sententiam nostram esse probabilissimam.

Prob. 4.^o Reus ex præcepto quarto Decalogi tenetur parere justo præcepto superioris, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: Rom. 13. Sed iudex legitimè et servato juris ordine, interrogans imponit reo justum receptum de veritate dicenda; unde enim est injustum? nisi forsitan dicas iudicem nunquam habere jus reum interrogandi de veritate.

quod apertè falsum est, juri et praxi tribunalium contrarium; ergò. 2.º Judex, posita semiplena probatione, habet jus quæsitum ad decernendam torturam, tanquam medium eliciendæ veritatis; ergò à fortiori ad finem confessionis, cum medium detur propter finem; et reus ideo teneatur ad subeundam torturam, quia obligatus est ad dicendam veritatem. Tum quia ex opposita sententia sequitur, quod multa delicta, in detrimentum reipublicæ impunita manere deberent; quod iudices iniquè agant interrogando, torquendo, deferendo juramentum super eo, quod reus non tenetur fateri.

Dices: Præceptum humanum non obligat cum gravi periculo, præsertim mortis; ergò nec præceptum iudicis ita obligat.

R. 1.º Si quis sponte sua peccando, conjiciat se in periculum vitæ, vel tale periculum sit intrinsicè præcepto Superioris, jam præceptum est obligatorium, non attento periculo mortis. Sic reus ex præcepto iudicis tenetur sustinere torturam, quæ forsitan ipse morte est crudelior, miles sub periculo capitis sæpius tenetur jussa ducis facere etc. Cum verò opposita sententia, cujus censuram Layman relinquit aliis, ut probabilis defendatur, servire poterit confessario in illo casu, quo reus capitis damnandus induci non potest ad veritatem dicendam. Alioquin ex communi sententia, si reus in criminalibus minoribus legitime interrogatus nolit dicere veritatem, non est absolvendus, utpote indispositus, quamdiu retinet pravam voluntatem negandi veritatem. At si iudex legitime non interroget, vel dubium est de legitimitate interrogationis, quia v. g. indicia, quæ contra reum afferuntur, non videntur sufficientia ad semiplenam probationem, reus non tenetur fateri veritatem, sed citra falsitatem, aut mendacium, aut restrictionem mentalem ab Innoc. XI. numer. 26. damnatam, prudenter potest amphibologia uti; tum quia Judex non interrogat, servato juris ordine; tum quia in dubio favendum est potius reo, quam accusatori, aut iudici. Idem dicendum in casu, quo reus de uno crimine convictus vel confessus, interrogatur de altero non connexo, de quo nulla infamia aut indicia præcesserunt. Vide S. D. 2. 2. q. 69. ar. 2.

2.º Si iudex ex falsa præsumptione delicti vel debiti reum interroget, is negare potest propositionem, utpote falsam in sensu iudicis hic et nunc principaliter intento, licet ceteroquin propositio materialiter sit vera: v. g. non occidisti Stichum, et tamen stricto ense, sanguine infecto, exivisti ex tali loco. Interrogatus a iudice, an hoc modo exiveris, respondendo non exivi, non mentiris; quia iudex interrogat de exitu, ut est indicium manifestativum homicidii patrati, quo modo utique non exivisti. Ita Navar. Covar. Sanch. et alii ex *Can. humanæ aures.* 22. q. 5. et c. 6. de *V. S. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Sed intentio iudicis est, ut interrogatus confiteatur propositionem, non utique materialiter spectatam, sed formaliter, quatenus est manifestativa delicti, aut debiti; ergò si delictum, vel debitum in reo non præcessit, verè negatur talis propositio. Neque hic est restrictio mentalis: sed loquutio sensibilis ex causis et circumstantiis interrogantis. Vide Carden. diss. 49. c. 4. a. n. 36.

435. Q. II. *An reus regulariter interrogari, vel confiteri possit de sociis criminis?*

R. Negative, ex *Can. fin.* 15. q. 3. ubi Julius Papa: *nemini, inquit, præterquam in crimine læsæ majestatis, de se confesso credi potest super crimen alienum;* et c. 1. h. t. ibi: *eos etc. c. 10 de testib. l. 16. ff. de qq. ibi: is, qui de se confessus est, in caput aliorum non torquetur, et l. fin. C. de accus.* Nam crimen de se in iudicio confessus fit infamis, adeoque repellendus à testimonio. Tum quia periculum est, ne maligni homines ex odio, vel alia prava passione innocentibus calumnias struant, et falsa crimina impingant. —Excipe crimina gravissima seu excepta, maximè in futurum pendentia, ut crimen hæresis, perduellionis, læsæ majestatis, veneficii, falsæ monetæ, assassinii, simoniæ, quibus hodie additur furtum. Item si delictum ex natura sua à pluribus fieri petit, ut adulterium; vel si socii de tali delicto diffamati aut indiciati sunt. Quibus concurrentibus, maximè si crimen sit exceptum, vel socius diffamatus, iudex procedere potest ad inquisitionem specialem, dummodo reus inimicitias non habuerit contra eos, de quibus confitetur, et confessionem suam tortura confirmet et juramento, more testium. Secus confessio rei de aliis non diffamatis non sufficit ad inquisitionem specialem, sed tantum generalem.

436. Q. III. *Qui sint effectus confessionis judicialis simplicis?*

R. Seqq.: 1.º Plena et maxima probatio, quæ sanat omnem defectum processus judiciarii, tollit præsumptionem juris et de jure; imò, quod speciale est, rem judicatam in favorem rei infirmat et revocat (*l. 1. ff. et l. un. C. h. t.*); quia nulla melior et verior est probatio, quam proprii oris confessio.—2.º Inducit notorium juris, et ideo præcludit viam appellationi (*c. 13. 14. de appell. l. 2. C. quor. appell. non recip.*), nisi reus ex causa confessionem revocasset.—3.º Vim habet rei judicatæ (*cit. l. 1. et 6. in fin. et l. un. C. h. t.*)

An vero confessio per omnia æqualis sit rei judicatæ, ita ut non requiratur sententia iudicis, dubium est ex citt. juribus ortum; ad quod cum distinctione:—R. 1.º Reus in criminalibus de se confessus crimen, non habetur pro iudicato, nisi constet de corpore delicti, et ex aliis probationibus atque indiciis sententia definitiva feratur contra reum (*c. 2. h. t. et l. 5. ff. de custod. et exhib. reor.*); nam periculum est, ne reus ex tædio vitæ et desperatione, vel timore tormentorum, falsum crimen de se confiteatur.—2.º Reus in civilibus post litem contestatam confitens debitum, per sententiam condemnandus est (*c. 40. de transact. l. 3. 5. ff. h. t.*); nam iudicium cæptum sententia terminari debet. At si confiteatur debitum ante litem contestatam, non opus est sententia definitiva, sed simplici præcepto iudicis, ut reus solvat (*l. 20. ff. de judic.*); nam in hoc casu iudicium non est cæptum, ac proinde confessus hic saltè habetur plenè pro iudicato (*cit. l. 1. ff. h. t.*)—His non obstat *l. 23. ff. ad. L. aquil.* ibi: *Nullæ partes sunt iudicandæ inconstantes:* nam licet post litem contestatam nullæ sint partes quoad excipiendas probationes causæ, opus tamen est definitiva sententia, qua iudicium terminetur, per *l. 74. ff. de judic.*

137. Q. IV. *An confessio qualificata præjudicet confitenti?*

R. 1.º Cum distinctione:—Si præsumptio juris non adversatur confitenti, vel qualitati adjectæ, non præjudicat confitenti: v. g. fateor, quod 100 promiserim, sed cum conditione, si navis ex India feliciter advenerit: unde talis confessio, vel tota respuenda, vel tota recipienda est; et tunc actori incumbit onus probandi eventum conditionis aut qualitatis; nam qualificatè confitens, magis videtur negare, quàm affirmare.—At si jus adversetur qualitati, vel præsumptio est contra confitentem, acceptatur confessio quoad substantiam, rejecta qualitate, quam reus probare debet: v. g. occidi Stichum, sed necessariæ defensionis causa. Ità in criminalibus statuit l. 1. C. ad. L. Cor. de Sicar., et in civilibus l. 25. §. fin. ff. de probat. et c. 6. de institut., ubi præsumptio stat pro concessione reali instituendi in beneficiis contra Archiepiscopum confitentem, concessionem fuisse tantum personalem. Reiff. à n. 123.

138. Q. V. *Quantum probet confessio extrajudicialis?*

R. Cum distinctione:—1.º Si facta est præsentè adversario, vel ejus procuratore cum expressione causæ, v. g. mutui, et legitime per testes duos vel per confessionem rei probatur, plenè probat in civilibus (c. 10. de probat. l. 13. C. de non nu. pecun.), ubi ratio datur: *Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.*—2.º At si confessio facta est sine expressione causæ, regulariter plenè non probat, sed tantum facit præsumptionem (ar. cap. 14. de fid. instrum. l. 25. §. fin. ff. de prob.), cum in omnibus obligationibus causa maxime attendi debeat. *Excipe*, nisi confessio fuisset jurata, vel ex intervallo geminata, vel liberatoria; ut confiteor te mihi nihil debere (l. 40. ff. de pactis.) Porrò, ut confessio ista præjudicet confitenti, et non possit ad eo revocari, probabilius requiritur expressa acceptatio præsentis adversarii, ut docet Felimus: ut verò ex tali confessione acquiratur jus adversario, sufficit tacita acceptatio. Abbas etc. Quæ distinctio conciliat contrarias sententias.—3.º Confessio cum expressione causæ, absente adversario facta, parum vel nihil probat, quia præsumitur fieri ex inconsideratione, nisi sit jurata, vel in favorem causæ piæ, ubi Deus supplet præsentiam adversarii, vel nisi aliud ex circumstantiis colligatur.—4.º Confessio extrajudicialis in criminalibus, in quibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, plenè non probat, sed plerumque semiplenè, ut sufficiat ad torturam; nam ex tali confessione oritur gravis præsumptio contra confitentem.

139. Q. VI. *Quid probet confessio per torturam, vel per judicem sub spe impunitatis extorta?*

R. Ad 1.º Confessio per torturam plenè probat, si secundo vel tertio die extra tormenta ratificetur; secus, si reus neget quod in tormentis confessus est, nihil probat, quia reus præsumitur in tormentis falsum dixisse. Porrò, ut reus ad quæstionem severam trahi valeat, præter corpus delicti, requiritur semiplena probatio per unum testem de visu, vel per famam, et alia indicia semiplenam probationem facientia. Plura de his Clar. et alii criminalistæ.—Ad 2.º Talis confessio nihil probat, utpote

dolo et fraude judicis extorta, c. 7. de renunt; unde judex, vel non debet uti fictis promissis, vel datam fidem servare debet, cum etiam hosti fides servanda sit de jure naturali (Can. noli 23. q. 1.)

Circa reos convictos et non confessos, ex motu proprio Bened. XIV. *Avendovi novi* (2. Jan. 1753.), quo confirmat resolutiones Cong. particularis, quasque declarat habere vim legis universalis in tota Ecclesiastica ditione, statuitur:—1.º In tribunalibus supremis, et Papæ vice gerentibus in delictis atrocissimis, homicidiis appensatis, et furibus famosis probationem suppleri posse tam ex indiciis, quàm ex numero etiam per testes minus habiles, et idoneos.—2.º Idem servandum in delictis secutis in locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii testes, quàm personæ infames; dummodo suppletio fiat per indicia et conjecturas, quæ probentur per alios testes. "

140. Q. VII. *An confessio criminis incidenter in judicio facta probet ad pœnam ordinariam?*

R. Negative; nam ad pœnam ordinariam non proceditur sine legitima querela, quæ in tali casu deest. *Excipe*, nisi judex super tali crimine instituat inquisitionem, et alias legitimas probationes hauriat; tunc enim locus erit pœnæ ordinariæ (c. de except. à sensu contr.)

141. Q. VIII. *An confessio Prælati vel procuratoris noceat Ecclesiæ, aut domino principali?*

R. Cum distinctione: si confessio ista est voluntaria, et spontè facta, non nocet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, nisi Prælati de consensu capituli confiteretur, quod Ecclesia mutuum acceperit etc. (c. 17. de præscript. c. 2. de capell. monac.) At si confessio fuit necessaria, hoc est, mandato judicis imperata, nocet, modò procurator habuerit mandatum speciale ad confitendum, vel constitutus sit *cum libera*; sicut olim erant æconomi Ecclesiarum (c. fin. h. t. c. 2. eod. in 6. c. 21 de sent. et re judic.) Nam actus intranei judicio, quos litigans necessariò præstare debet, prosumt vel obsunt principali. Si tamen Ecclesia propter errorem confessionis læsa est, habet ordinarium remedium revocandi confessionem *in continenti*, hoc est, in eadem moraliter præsentia judicis, quod aliqui ad triduum extendunt ex l. fin. C. de error. advoc., et tunc non est opus probare errorem; vel *revocandi ex intervallo* ante sententiam latam, et tunc probari debet, quod confessio per errorem facta ceciderit, l. 7 C. de J. et F. Ignor.: *error facti, necdum finito negotio, nemini nocet.* Insuper Ecclesia læsa, aut minor, habet beneficium restitutionis in integrum, quod durat quadriennio à sententia lata, ut tit. de integ. rest. docetur. At dominus major, præter remedium revocandi confessionem, rarò habet restitutionem in integrum; sed si læsus est, succurritur ei *actione mandati* contra procuratorem.

142. Q. IX. *An confessio testatoris in testamento valido facta aliquid probet?*

R. 1.º Plenè probat in præjudicium confessi, modò sit expressa causa debiti, vel injusta possessio, vel additum sit juramentum, aut aliud adminiculum; nam confessio ista fit coram legitimis testibus testamentariis. At si non est expressa causa debiti, nec aliud adminiculum, v. g. *Titio debeo*

400, regulariter nihil probat, et hæredes ad nihil tenentur: cum confessio ista videatur in fraudem legis facta (l. 37. §. 6. de legat.), nisi talis esset persona, cui testator fatetur se esse obligatum; tunc enim debitum expressum peti potest, saltè per modum legati (l. 28. §. fin ff. de liberalit. legat.)

2.º Confessio testamentaria in præjudicium tertii facta, nihil probat in jure (arg. l. 6. C. de testam. l. 3. §. 1. ff. ad SC. Silan. Nov. 48. c. 1. §. 1.) ex reg. generali, quod nulli sit credendum in præjudicium tertii. Unde si pater, vel mater scribat in testamento, quod filius ingratus, vel ex adulterio natus fuerit, et ideo exhæredetur, nec patri nec matri creditur.

443. Q. X. An confessio sacramentalis aliquid probet in judicio?

R. Omnino nihil (c. 2 de off. ordin. c. 13. de excess. Præl.) Nam confessio ista totaliter est extra commercium humanum, nullusque ejus usus in foro externo; imò ob reverentiam sacramenti Pœnitentiæ, etiam instrumenta confessionis, ut schedæ, in quibus conscripta sunt peccata, non debent produci ad forum externum, neque ex illis judex procedere ad inquisitionem contra illum, cujus scheda reperta fuit. Reiff. cum cilt., licet Navar., Coninck, et alii doceant ex tali scheda induci tantum secretum naturale.

De positionibus, articulis et interrogatoriis.

444. Paragraphus iste additur per modum complementi in h. t. cum in c. 1. et 2. h. t. in 6. expressè agatur de positionibus, quæ quandoque cum articulis confunduntur. In rigore tamen distingui debent; nam *positio* est simplex assertio facti ad causam pertinentis, medio juramento in scriptis exhibita, ut per responsionem adversarii prævio juramento firmatam, pars relevetur ab onere probandi in his, quæ admittuntur. Illud ponentis vocatur *juramentum dandorum*, quod ponens nihil calumniosè posuerit; istud verò respondentis vocatur *juramentum respondendorum*, quod nihil calumniosè et contra mentem respondere velit. Formantur autem *Positionalia*, seu positivæ ex libello post litem contestatam conformiter causæ propositæ, v. g. pono, quod calendis Junii pecuniam mutuam à me petiveris etc.—*Articulus* est illa propositio, quæ post responsionem adversarii restat probanda à proponente.—*Interrogatoria*, sunt illæ quæstiones, quæ à iudice vel ex officio, vel ad instantiam partis proponuntur reo et testibus.

445. Q. I. Quid juris circa positiones

R. 1.º Has facere potest actor, et reus, si is in probando sustineat vires actoris (c. 2. h. t. in 6. et c. 2. de testib. in 6.), uti et procurator speciali mandato instructus (cap. fin. de jurejur. in 6.); non autem judex, cui sola interrogatoria permittuntur, non verò positiones, quæ vim probationum habent.—2.º Si reus à iudice jussus sine rationabili causa recusat positionibus respondere, habetur pro confessio in eis; modò per sententiam interlocutoriam declaretur pro tali (c. 2. h. t. in 6.) Causæ autem non res-

pondendi sunt; v. g. quia positio est superflua, impertinens, obscura, captiosa, multiplex, interrogatoriè concepta etc.; negativa autem, suadente æquitate admitti potest (c. 1. h. t. in 6.); v. g. pono, quod tempore meridiano in civitate non fuerim etc.—3.º Positione, licèt fieri nequeant ante litem contestatam, formari tamen possunt, non solum in termino probatorio, sed probabilius etiam post conclusionem in causa; quia hic non est periculum subornationis sicut in testibus, nisi quis renuntiasset omni generi probationum, cum et positio sit species probationis (c. 2. h. t. in 6.) Semel autem positiones in acta relatæ, in præjudicium alterius revocari et mutari non possunt, benè verò obcuræ declarari, nisi mutationem suadeat error facti.—4.º Spectato jure communi, copia positionum non est danda responsuro, nec terminus dilatorius ad respondendum: tum quia quilibet in suo actu censetur benè instructus; tum ne advocatorum suggestionem, finis positionum impediatur. *Excipe*, nisi contrarius sit stylus tribunalis, sicut in curia romana. Circa articulos residuos ad probandum, nihil speciale examinandum venit: hoc solum notandum, quod articulans non fatteatur esse articulos veros, sicut positiones, sed tantum eos probari posse.

446. Q. II. Quid juris circa interrogatoria, quæ reo aut testibus à iudice proponuntur?

R. Judex in primis proponere debet *interrogatoria generalia*: v. g. cujus nominis sit reus, aut testis, cujus ætatis, conditionis; an testis sit subornatus, inimicus parti; an circa dicenda non convenerit cum aliis testibus. Tum descendit ad *interrogatoria specialia*, ex ipso facto controverso, ejusque circumstantiis desumpta, per c. 37. de testibus: v. g. an audiverit factum fuisse homicidium, an viderit, quis percusserit, ubi, quando, etc. At *interrogatoria suggestiva*, quibus judex in speciali suggerit, quid testis respondere debeat, tanquam perniciosissima vitari debent à iudice: aliàs si reus per suggestionem, vel testis fateatur crimen, confessio ista et depositio non sufficit ad condenandum, sed pro infecta haberi debet, cum ordo iudicialis non servetur.

TITULUS XIX.

DE PROBATIONIBUS. ^a

447. Nota I. Quod probatio est: Rei controversæ per legitima argumenta ostensio. Ista autem in iudicio potissimum desumuntur ex locis extrinsecis, ut testibus, instrumentis etc.

Nota II. Probationem judicalem dividi: in *plenam*, quæ tantam fidem facit iudici, ut sufficiat ad decisionem causæ; et *semiplenam*, quæ facit ju-

^a—Agitur de his in Clem. un. h. t.—In Decreto Can. 5. d. 44. et 6. q. ult.—In Pandectis lib. 22. tit. 3.—In Codice lib. 4. tit. 19.

dici aliquam fidem, sed non sufficientem ad causæ decisionem. Utraque suam habet latitudinem; nam *plena* vel est *evidentissima*, seu plenissima per argumenta indubitata; vel est *clara*, seu plenior per testes omni exceptione majores; vel *plena tantum*, seu minus evidens, quæ fit per præsumptiones. Sic etiam argumenta quandoque faciunt probationem *semiplenam*, ut depositio unius testis integri; quandoque *plusquam semiplenam*, ut depositio personæ valdè excellentis, præsertim adjunctæ per alia adminicula; et quandoque *minus quàm semiplenam*, ut præsumptio levis, comparatio litterarum, si de scriptura controvertatur.

Nota III. Species probationis plenæ esse quatuor: *testimonium duorum, instrumentum publicum vel authenticum, præsumptionem juris et de jure aut violentam hominis, et jusjurandum ad delationem partis præstitum.* Quibus additur *confessio propria, et evidentia facti*: sed hæ, licet maxime judici fidem faciant, tamen propriè non sunt probationes; siquidem confessio est relevatio probationis, et evidentia facti non tam est probatio, quàm demonstratio seu representatio facti. Species autem probationis imperfectæ sunt multæ; ut depositio unius testis, juramentum suppletorium, scriptura privata non authentica, comparatio litterarum, præsumptio levis, fama etc.

Nota IV. *Notorium* esse, quod ita patet, ut nulla tergiversatione clari possit: et quidem, si pateat in judicio, quia reus de causa convictus vel confessus est, dicitur *notorium de jure, seu notorietate juris*: si verò actus factus est in præsentia multorum, ut decem in civitate, vel sex in communitate minori, dicitur *notorium de facto, seu notorietate facti*.

148. Q. I. *Quis obligetur ad probandum?*

R. Asserentis est probare, seu ut ait Paulus *l. 2. ff. h. t.; ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.* Et quia actor plerumque affirmat, actoris est probare (*l. 21. ff. eod.*) Excipe:—1.º Si reus excipiendo aliquid affirmet; tunc enim *in exceptione actor est* (*l. 1. ff. de except.*)—2.º Si jus resistat reo, et assistat actori, fundando ejus intentionem, ut si Episcopus petat capellam suæ diœcesis, vel parochus decimas; tunc enim reus probare debet, quo jure capella vel decimæ ad eum pervenerint.—3.º Si minor agat contra venditionem rei immobilis celebratam cum majori; tunc enim major probare debet decretum Prætoris cum aliis solemnitatibus intervenisse (*l. 13. §. fin. ff. de publiciana.*)—4.º Si reus ultrò in se suscipiat onus probandi; et quamvis non probet, non perinde causa cadit (*lib. 14. ff. hoc tit.*), vel si judex onus probandi transferat in reum, deferendo ei juramentum (*cap. fin. in fin. de jejun.*) Vide Gloss. in *c. un. ut benefic. Eccles.*

149. Q. II. *An negans quandoque obligetur ad probandum, seu an propositio negativa probari possit?*

R. Cum distinctione:—1.º Propositio negativa juris in materia generaliter permissorum, probanda est: ut si quis neget validam esse emancipationem, electionem etc. (*l. 5. ff. h. t.*); nam de jure omnia censentur esse licita, et valida nisi probentur prohibita vel irrita. At negans id, quod est de genere prohibitorum, non tenetur probare, sed alter; ut si

quis dicat: *nego, quod Titium jure occideris, vel ejus bona abstuleris.*—2.º Negans *qualitatem*, quæ à natura communiter inest, debet probare defectum: ut si quis dicat alterum non esse sanæ mentis, non esse potentem ad copulam etc., cum talis qualitas inesse præsumatur. At negans *qualitatem accidentalem*, quæ communiter non inest, ut non esse nobilem, doctorem etc., si neget ante promotionem, non tenetur probare, sed alter dicens sibi inesse hanc qualitatem; at si neget post promotionem ad effectum demotionis, probare debet defectum qualitatis, cum alter constitutus in possessione officii, etiam constituat se in possessione hujus qualitatis (*lib. 7. C. de profess. et med.*)—3.º *Negativa prægnans*, quæ in se virtualiter includit affirmativam facti, probanda est: ut si quis dicat, se spontè non contraxisse matrimonium, affirmat enim metum sibi illatum, et hunc probare debet. Similiter negativa facti determinata per circumstantias loci, temporis etc. probari potest indirectè; v. g. hoc tempore fui in alio loco; ergò illo tempore in isto loco non occidi (*cap. 35 de testib.*) At si est *negativa facti pura, simplex, indefinita*, v. g. non occidi, non sum citatus, nullo modo probari potest (*c. 12. h. t.*) ibi: *in probatione negativa neminem audiatis.* nam sicut non entis nulla sunt prædicata, ita nulla probatio.

150. Q. III. *Quodnam sit objectum probationis?*

R. Factum controversum in judicium deductum. Nam ea, quæ sunt juris communis, non probantur, sed allegantur, utpote nota judici; licet privilegia privata, et consuetudo, et statuta particularia, quæ æquiparantur quæstionibus facti, probanda sint.—Nec obstat *cap. 11 de Simon.* ibi: *si verò id manifestum est*; nam hic manifestum non accipitur pro *notorio*, sed pro diffamato seu divulgato, et hoc probari debet.—Quomodo quælibet res in specie probanda sit, fusè per quatuor libros docet J. Mascardus. Sic excommunicatio probatur ex litteris Ordinarii (*cap. 7 hoc tit.*); ætas ex testimonio parentum, propinquorum, obstetricum, libris parochialibus, habitu corporis etc.; filiatio ex parte patris, quia filius natus est ex uxore in domo mariti habitante, ut filius appellatus, et tractatus, et communiter in civitate pro tali habitus est, etc.

151. Q. IV. *In quo consistat forma probationis judicialis?*

R. In legitimis actibus et solemnitatibus à jure ad probandum requisitis. Et quidem:—1.º Probatio debet fieri judici, præsentè adversario et notario publico, seu duobus viris idoneis, qui probationes in scriptum redigant (*cap. 11. h. t.*)—2.º Debet probatio esse clara, et conformis libello, ordinata, ita ut actor prius probet suam intentionem, deinde reus in suis exceptionibus audiatur (*l. 49. Cod. hoc tit.*)—3.º Debet fieri tempore legitimo, seu intra terminum probatorum à judice constitutum; regulariter à lite contestata, usque ad publicationem testimoniorum, et conclusionem in causa.—4.º Probatio debet esse plena saltàm ordinariè: in modicis et factis antiquis nulli præjudiciosi sufficit semiplena. Jam si actor plenè probavit suam intentionem, non tenetur eam juramento firmare (*cap. 2 hoc tit.*), quia superfluis remediis non est utendum, maxime in præjudicium alterius.

452. Q. V. *An duæ probationes semiplenæ in eundem finem tendentes, faciant unam plenam?* v. g. si res probetur per unum testem de visu, et per iuramentum suppletorium, vel per adminicula semiplenæ probationi æquivalentia?

R. Affirmativè in causis civilibus. Ita Menoch. Mysing. Zoes, et alii ex c. 13. h. t. c. 27. de testib., ubi ad plenam probationem recipiuntur testes, fama, libri antiqui, indicia et alia adminicula. Nam quæ non prosunt singula, multa juvant, ait Gloss. in cit. c. 13. h. t. v. adminicula; et ex duobus imperfectis, si ad idem tendant, effici potest unum perfectum, sicut in physicis corpus et anima faciunt hominem, et in moralibus tres faciunt familiam et collegium. Excipiuntur causæ criminales, matrimoniales et gravissimæ causæ civiles, quæ criminalibus æquiparantur: in his enim duæ semiplenæ probationes non conjunguntur, sed ob gravissimum præjudicium tertii, aut periculum animæ requiritur una plena probatio. — His non obstant l. fin. C. de R. V. l. 9. C. de O. et A. l. 9. C. de except. l. 9. §. 1. C. de testib. et similia jura; nam his rejicitur semiplena probatio ad effectum sententiæ, si per aliam semiplenam non compleatur; veluti per iuramentum suppletorium vel alia adminicula.

* Huc revocandæ sunt additiones ad præcedentem titulum post n. 139. ex motu proprio Benedicti XIV quoad duas semiplenas probationes. "

453. Q. VI. *Quis sit effectus plenæ probationis?*

R. 1.º Plena probatio adstringit iudicem, ut ferat sententiam: vel pro actore, si is plenè probavit, vel pro reo, si actor nihil, vel reus plenè probavit (l. 11. 12. C. h. tit.)—2.º Plenè probans liberatur à præstando iuramento, et reo impedit admissionem ad purgationem canonicam, vel probationem propositionis negativæ (c. 2. et 12. h. t.)—3.º Si concurrant plures probationes sibi non contrariæ, una non elidit alteram, sed quælibet pro sua causa subsistit (Clem. 2. de testib): ut si unus plenè probet datum mutuum, alter verò probet mutuum esse solutum. At si contrariæ sint, ut super legitimitate et illegitimitate etc., illa prævalet, quæ est efficacior. Sic probationes per rei veritatem, per duos testes de visu, sunt efficaciores, quàm probationes per præsumptiones, vel per unum testem et famam vicinæ; et c. 4. h. t. probatio virginatis per iuramentum et per inspectionem septem matronarum prævalet probationi viri jurantis se mulierem cognovisse etc. Si omnimoda sit paritas probationum, quod rarò accidit, fertur sententia pro reo, vel possessore; vel tandem pronuntiatur, *uti possidetis. ita possideatis*, (c. 9. h. t.); exceptis causis favorabilibus, libertatis, matrimonii, testamenti, dotis, donationis, pro quibus in æqualitate probationum pronuntiandum est (c. fin. de sent. et re jud. cap. 3. hujus tit.)

454. Q. VII. *Qui sint effectus semiplenæ probationis?*

R. 1.º Dat locum iuramento suppletorio, et cum aliis adminiculis facit plenam probationem (cap. 3. h. t.)—2.º In causis modicis, vel antiquis nulli præjudicantibus sufficit ad ferendam sententiam ex com. DD.—3.º Regulariter sufficit ad torturam, et minus quàm semiplena ad inquisitionem et purgationem canonicam (c. 5. 8. de purg. Can.) Denique si causa ad alium iudicem devoluta est, acta prioris processus remittenda sunt ad ju-

dicem devolutionis (c. fin. h. t. et c. 14. de testibus,) cum acta legitima, unius iudicii fidem faciant in altero.

De evidentiâ facti, fama, et verbis narrativis Principis.

Cum de his speciales tituli non habeantur, præsentî titulo eorum tractationem subijcimus.

455. Q. I. *Qualis sit probatio per facti evidentiâ, seu inspectionem ocularem?*

R. Est omnium validissima, ita ut nunquam censeatur exclusâ, etsi sententia transeat in rem judicatam; cum veritas melius hauriri nequeat, quàm per aspectum ocularem (arg. l. 8. ff. fin. regund. l. 32. §. 5. ff. de auro et arg.) Unde c. 9. de accus. dicitur: *evidentiâ patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*. Inspectio ocularis locum habet in causa homicidii, vulnerationis, novis operis nuntiatione, in causa damni infecti, limitum parochiæ, vel alterius territorii, impotentia ad copulam etc. Instituitur autem, præmissa aliqua causæ cognitione, præsentibus partibus, testibus, notariis, et aliis personis necessariis; ut sunt medici et chirurgi in casu vulneris, obstetrices in causa impotentia, fabri in novi operis nuntiatione aut damni infecti, agrimensores in dimetiendis agris, etc.

456. Q. II. *Quid sit, et quid probet fama?*

R. 1.º Fama hominis est ipsius existimatio, seu: Dignitatis illæ status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate legum, aut minuitur, aut consumitur (l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.) Fama inter hominum est in aliquo loco, commune populi constans et publicum iudicium. Et de hac fama hic loquimur, quæ differt à rumore per hoc, quod rumor sit sermo, seu opinio particularis inter paucos; fama verò sit sermo communis in populo.—Ad 2.º Fama probata per instrumenta antiqua, vel saltè per duos testes deponentes, se ita audivisse à potioribus in communitate, regulariter non facit plenam fidem, nisi in rebus modici præjudicii, vel ad impediendum peccatum, ne v. g. matrimonium contrahatur cum impedimento. Ità com.; nam fama est valdè fallax, et dictum unius facile sequitur multitudo (c. 12. de purg. Can.)—An verò fama faciat semiplenam probationem, relinquitur arbitrio iudicis, cujus erit considerare qualitatem famæ, negotii gravitatem, personæ honestatem, et alias circumstantias. Et quidem, in civilibus valdè arduis et criminalibus fama nec semiplenè probat, quia in his requiruntur probationes luce clariores (l. fin. C. de probat); imò fama sine aliis adminiculis nec sufficit ad torturam; benè verò ad inquisitionem specialem diffamati, vel ad incarcerationem, si de fuga suspectus sit, uti et ad purgationem canonicam (cap. 17. 19 de accus. Can. 5 presbyter. 2. q. 4.) Plura de fama vide in Mascardo, Reiff. etc.

457. Q. III. *Quid probent verba narrativa Principis in rescripto posita?*

R. 1.º Si princeps, ut Papa, Imperator, intentionem suam vel gratiam fundet in verbis, hæc plenè probant, modò princeps proprium factum enar-